



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii  
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali  
Benedictina Universitate Salisburgensi**

**König, Robert**

**Salisburgi, 1725**

**VD18 80460526**

30. De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61800)

ita tamen, ut Episcopus cum tali dispensare valeat, quò Ordinem omissum suscipiat, & in utroque ministret, ac etiam ad superiores ascendat, modò actus superioris Ordinis ante susceptum Inferiorem non exercuerit. *c. 11. h. t. Trident. sess. 23. de Reform. c. 14. in fin.* Quòd si actus illius Ordinis exercuerit, juxta dicta ad *vit. de Clerico excom. n. 2.* incidit in irregularitatem, in qua ipsa, si crimen occultum, nec ad forum contentiosum deductum sit, facultatem dispensandi Episcopo concessit Trident. *sess. 24. de Refor. c. 6.*

nequeat. Potest tamen Episcopus cum eo dispensare in Ordine furtivè suscepto, eundemque habilitare ad alium Ordinem suscipiendum; nisi, ut in pluribus Dicecesibus fieri solet, contra furtivè se ingerentes ante ordinationem promulgata sit excommunicatio, quo casu ob contemptum censuræ aggravatur delictum, & solus Pontifex dispensat, nisi furtivè ordinatus monasterium ingressus ibi aliquamdiu laudabiliter vixerit: tunc quippe etiam ab Abbate, seu Prælato suo cum eo dispensari poterit. *c. 1. 2. & 3. h. t.*

(O)

## TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

## SUMMARIÆ.

1. *Quinam dicatur ordinem furtivè suscipere?*  
2. *Quæ pena ordinem furtivè suscipientis?*

## §. I.

1. *Ex* tò denique Clericus delinquit, si furtivè ordinem suscipiat. Dicitur autem furtivè ordinem suscipere, qui vel sine prævio examine, & prævia admissione ad illum Ordinem suscipiendum cum aliis se intrudit, & ordinari permittit: vel qui plures Ordines saltem Majores uno tempore simul suscipit. *c. 2. & 3. h. t.* Addidi: *saltem majores*: quandoquidem in pluribus locis consuetudine obtentum est, ut minores Ordines eodem die cum Sub-Diaconatu conferantur, quam consuetudinem communiter approbant DD. apud Barbol. in Trident. *sess. 23. de Reform. cap. 12.*

## §. II.

2. *Pena* hujus delicti est, quòd taliter ordinatus prohibeatur & in ordine sic suscepto ministrare, & ad alium superiorem ascendere

nequeat. Potest tamen Episcopus cum eo dispensare in Ordine furtivè suscepto, eundemque habilitare ad alium Ordinem suscipiendum; nisi, ut in pluribus Dicecesibus fieri solet, contra furtivè se ingerentes ante ordinationem promulgata sit excommunicatio, quo casu ob contemptum censuræ aggravatur delictum, & solus Pontifex dispensat, nisi furtivè ordinatus monasterium ingressus ibi aliquamdiu laudabiliter vixerit: tunc quippe etiam ab Abbate, seu Prælato suo cum eo dispensari poterit. *c. 1. 2. & 3. h. t.*

## TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, &amp; subditorum.

## SUMMARIÆ.

1. *Quinam sint excessus Prælatorum?* 2. *Quinam subditorum?*

**Q**UONIAM Clericorum alii sunt Prælati, alii subditi; nunc peculiariter de horum quoque *excessibus* agitur.

## §. I.

Excedunt autem Prælati Ecclesiastici I. Quando novos & indebitos census, exactiones, aliæque gravamina subditis suis Ecclesiis imponunt, vel veteres augent, aut subditos censuris injustè subjiciunt, cujus excessus pena est arbitraria. *c. 1. h. t.* II. Quando sine causa Ecclesiam alteri subjectam ab illius subjectione & obsequio liberant, beneficia aliis conferenda sibi retinent, aut indignis ea conferunt. *c. 2. 3. & 11. h. t.* III. Quando à privilegiatis, aut exemptis aliquid exigunt contra tenorem libertatis, aut privilegii eis à Sede Apostolica concessi. *c. 16. & 17. h. t. Clem. un. Eod.* ubi specificè plura gravamina Religiosis singulariter mendicantibus ab Episcopis illata recensentur, atque ab iis cessare jubentur. Interim variis in causis

S 3

Epi.